Dis.

DE

RACHITIDE

CONSENSV

GRATIOSI ORDINIS MEDICI

PRO

GRADV DOCTORIS

A. D. XX. AUGUSTI cIↃIↃCCIC.

179..

IN

VNIVERSITATE LITERARIA FRANCOFVRTENSI

PVBLICE DISPUTABIT

AVCTOR

HEINRICVS MAYER BAAD

SCHWERSENSIS BORVSSIAE MERID.

TRAIECTI AD VIADRVM,

E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

VIRO

HVMANITATIS LAVDE

NON MINVS, QVAM

DIVITIARVM COPIA

MAXIME CONSPICVO,

JOSEPHO LEVI

ARGENTARIO

APVD VIENENSES

FLORENTISSIMO

OB

EGREGIA IN SE COLLATA

BENEFICIA

HANC ACADEMICAM DISSERTATIONEM

IN

PVBLICAM PERPETVAMQVE

GRATISSIMI ANIMI

TESSERAM

OMNI REVERENTIA

OFFERT

AVCTOR.

DISSERTATIO DE RACHITIDE.

§. I.

Historia.

Morbus hic iam antiquiſſimis populis notus fuiſſe videtur, etiamſi ab eorundem medicis deſcriptus non fuerit accurate. Graecorum enim Romanorumque hiſtoriis conſtat, his a nationibus multos, ob deformitatem pueros, in ſyluas eremosque expoſitos fuiſſe, quia arbitrabantur, tales infantes magis obeſſe, quam profuturos reipublicae eſſe meliusque fore, nullius ſpei infantem iam in tenere iuuentute ſibimet ipſi, aut quod idem, morti relinquere, quamquam crudele iis viſum eſt, propriis trucidare manibus.

§. II.

Quod clariorem concernit notionem huius morbi, eam primo duo medici Anglici clariſſimi, GLISSONIVS*) nimirum et ARNOLDVS BOTIVS**) tradiderunt. Morbus enim anglos prius, quam alios occupauit, ipſisque ſub nomine Richets innotuit. Ex Anglia in Galliam propagatus ibidem nomen Nouevre accepit, vnde infantes hoc cum morbo affecti, enfans noues vocati ſunt. Exinde in Hollandiam et Sueciam transmigrauit potitusque nomine riſet. Abinde in Germaniam transferebatur ſub nomine morbi anglici, quia ab anglis medicis accuratior delineatus fuit. Veteres Germani, miſeros hoc morbo affectos Wechſelbaelge nuncuparunt, quia ſuperſtitioſe credidere, infantem ſanum, a diabolo in talem deformitatem commutari. Nomen Wechſelbalge ortus fuiſſe videtur ex commutato et inflato ventre, follem, *Blasbalg*, referente. Ab aliis *doppelte Glieder* vocatur, quia ad articulos extrema oſſium ſolito

*) *Von der herrſchenden Krankheit in der Grafſchaft Dorſet und Somerſet zwiſchen den Jahren* 1612. *bis* 1620.

**) De affectibus amiſſis Londini 1649. cap. 12.

ſolito craſſiora adparent. Nobis autem nunc per totam Europam dicitur rachitis.

§. III.

Deſcriptio mali huius quoad caput.

Caput grande, quaſi hydrocephalus, fontanella tarde, ſaepe poſt decimum annum primo clauditur. Nec caput rite ſuſtentatur ſed vel retro, vel ad humeros, aut ad ſternum labitur. Oſſa cranii in nonnullis ſeparata manent, vel ſeparantur, os frontis prominet, temporum oſſa compreſſa. Ingenii plerumque maioris ſunt. Lingua nimis mollis, quare loquela tardior. Vox pro aetate grauior, ob relaxatum laryngem. Os perpetuo madeſcit. Facies ab initio pulchra, roſea, ſenſim ſenſimque autem rugas concipit, ſenum inſtar. Dentes flaueſcunt, aut nigreſcunt, praemature excidunt, noui autem difficile, tardeque incedunt. Venae ad collum turgidae et inflatae. Collum breuius apparet. Glandula thyroidea infarcta.

§. IV.

Quoad thoracem.

Clauiculae ſaepe miros in modos flectuntur. Glandula thymus infarcta. Vertebrae

dorſi

dorsi aut antrorsum, aut retrorsum, aut ad latera inclinant, gibbum formant, communior tamen est chyphosis. Costae in cartilaginosa parte, nodosae euadunt. Spina lumbalis non antrorsum flexa vt in sanis, sed plerumque recta adparet aut ad posteriora reclinat. Respiratio difficilis et non raro stertorosa. Humerus vnus prae altero eminet. Tussis, vel sicca vel humida, vel cum sputis sanguinis.

§. V.

Quoad Abdomen.

Abdomen turgens prominensque, glandulae meseraicae et pancreas infarctae, hepar maius, etsi in infantibus sanis semper maius, ac in adultis inueniatur, quod etiam de glandulis obseruandum, quae in pueris maiores.

§. VI.

Respectu ad peluim.

Interdum vnum os ilei longe excedit alterum, saepe vtraque, aut os sacrum et pubis compressa.

§. VII.

Extremitates.

Oſſa, potiſſimum extremitatum, mutationes notabiles ineunt, incuruantur diuerſimode, maxime longa, eorum epiphyſes, et articuli intumeſcunt molleſcuntque, ita, vt infantes pedibus inſiſtere nequeant. Oſſium durities ſaepe tantopere imminuitur, vt cartilagini ſimillima fiat, imo inuenta fuere tanta mollitie, vt maxima oſſa minimo poſſent perſcindi cultello; attamen non raro cereae illius flexilitatis loco rigiditas eorum oritur, qua minima vi frangi poſſunt.

§. VIII.

Diuiſio.

Multis auctoribus multifaria, conſuetiſſima tamen rachitidis diuiſio eſt in *congenitam* et *haereditariam.* Primam dixerunt, ſi infans gignitur hoc malo a parentibus hoc morbo non affectis, alteram vero dum parentum vna pars, praecipue tamen mater illo morbo correpta fuit. Porro in *completam* et *incompletam*, quae ſolum gradu ab inuicem differunt. Dein in *ſimplicem* et *compoſitam*, v. c. cum lue aut ſcabie etc. in *partialem* et *vniuerſalem. Endemica* fere omnibus vrbibus magnis et locis paludoſis, ſubterraneis eſt.

Cla-

Clarissimus Frank senior etiam diuidit in *primariam* et *secundariam*, in *infantum* et *adultorum*, quia rachitidem non raro etiam in adultis obseruauit.

§. IX.

Causa.

Iuxta obseruationes omnium medicorum, semper debilitas causa proxima est, quam e triplici fonte promanare posse, credo. I. A parentibus, aut morbis praegressis, praecipue tamen lue, aut parciori, aut minime nutriente victu, aut minus aptis, humidis domiciliis debilitatis, vbi postinde iam in germine debilitas propagatur. II. Ex victu, si infans mammas sugit lac qualitate vel quantitate peccans praebentes, aut si infans, mammarum loco, sacculum linteum grumis panis, saccharo remixtis atque lacte, vel infuso theae madefactis repletum (Nutschbeutel l. Zulpel Germanor.) sugit, inprimis si sacculus iste, non debite renouatus lotusque, aciditatem contraxerit; aut si alio incongruo, nimis crasso, inprimis pultaceo, modum excedente cibo nutritur. III. A loco si infantis domicilium aut in loco palustri subterraneo est, vel si infans in aura humida, vaporibus aquosis inquinata diu versatur, aut stragulis madidis sordidisque incumbit, quibus singulis partium laxitas augetur et postinde rachitis caussatur.

§. X.

Continuatio.

Quidam praedictis caufis adnumerant varios infantis morbos, vt febres intermittentes, dentitionem difficilem etc. Per fe autem, hi morbi vix quidquam efficient, quia hucusque nec in adultis, nec infantibus poft hos morbos fine alia caufa manifefta praegreffa obferuatur rachitis, fed vbi plus vel minus fupra expofitae egerunt, hi ad euolutionem rachitidis tanquam fecundariae caufae conferre poterunt.

Alii quoque accufant acidum vel pituitam primarum viarum; aft vero haec magis effectus quam caufa erunt, vt inferius oftendam.

§. XI.

Symptomata.

Caufis breue ante recenfitis, fequentia confideranda veniunt. Laxitas omnium totius corporis mufculorum, mollities, aut rigiditas offium, intumefcentia articulorum, et ex his deformitas manifefta. Praeter haec adhuc fomnolentia, afthma, dyfpnoea, tuffis etc. pituita, et acidum primarum viarum, appetitus adauctus, intumefcentia totius corporis, collectio aquarum, tum in cranio

quam in cauo pectoris et abdominis, lippitudo oculorum, qua tumor faciei plerumque imminuitur, febris, pulſus ſenſim ſenſimque debilior minorque euadit, vrinae ſedimentum calcareum, obſtructiones aluinae, tenesmus, conuulſiones et tandem mors miſerias finiens.

Poſt mortem corpus iuſto diutius calorem ſeruare, et iuxta obſeruationes multorum medicorum, non rigeſcere ſolet. Secto in cadauere inuenitur plerumque cerebrum aut molle, pultaceum, plerumque cum aqua repletum, aut durius: pulmo multis in locis cum pleura concretus; aqua in thorace aut pericardio, in abdominis cauo, glandulae meſeraicae et pancreas induratae, ſaepe pylorus induratus, hepar volumine adauctum, in veſica fellea, bilis loco, materies pituitoſa vel aquoſa, ſaepe canalis inteſtinalis hinc inde anguſtatus vel induratus, medulla ſpinalis plerumque pultacea, oſſa mollia, ad articulos ſquamoſa, intumentia, preſſione materiam ſanguinolentam fundentia.

§. XII.

Explicatio ſymptomatum.

Cauſis ſupra memoratis debilitantibus neceſſario ſucceſſiue totius corporis omniumque

que ſyſtematum, tum neruorum, tum muſculorum inertia oriri oportet, hinc mirum non eſt, digeſtionem chylificationemque non minus, quam aſſimilationem et omnem vim vitalem pati, quo ſit, humores crudos acrimoniamque acidam obſeruari.

Cauſis his diutius perſeuerantibus, acidum firmas quoque partes occupat ipſorumque oſſium cohaerentiam minuit. Acidum oſſa emollire valere, oſtendunt experimenta. His praemiſſis, non difficile captu, oſſa emollita cranii, maſſae cerebri ſufficienter reſiſtere non poſſe, hinc occluſionem ſuturarum impediri et caput grandius fieri permittere. Vertebrae ceruicales magis a pondere capitis comprimuntur, vnde collum breuius euadit. Vertebrae ſpinales et lumbales inſuper diuerſiſſime curuantur, quo corporis totius longitudo minuitur. Brachia quae tot incuruationes non patiuntur, longiores adparent. Extremitates inferiores, onus reliqui corporis ferendo impotentes, huius pondere incuruantur.

A ſitu vertebrarum immutato, clauiculas coſtasque diuerſam a naturali flexionem aſſumere, facile creditu. Difformis in toto ambitu thorax oritur, qui cum laxitate muſculorum intercostalium et pectoris tam in - quam exſpirationem impediens, aſthma, dyſpnoeam, et reliqua reſpirationis vitia gignit. Quibus ſpirationis incommodis, re

fluxus

fluxus sanguinis venosi e capite impeditur, vnde turgentes conspiciuntur venae.

Durante systematis lymphatici debilitate, non mirum est, oriri hydropem: vel anasarcam vel in cauis pectoris etc. A nutritionis inopia, emaciatio et tabes. Ab imminuta actiuitate intestinorum, motus eorum peristalticus imminuitur, aut prorsus cessat, vnde angustationes aut indurationes pylori, aut canalis intestinalis. Subsequente euolutione aeris, qui expandit intestina, comprehenditur abdomen inflatum.

§. XIII.

Prognosis.

Si morbus iam radices figat, i. e. si ossa emollita, aut soluta comprehenduntur, quod vltimum illud vrinae sedimentum calcareum prodere videtur, parum aut nihil spei super est; plus sperare licebit, si morbus adhuc in initio haeret, aut dum symptomata apparent, quae in rachitide iuuare solent, v. c. scabies, vlcus etc. Interdum morbus aestate remittit, cui tamen remissioni non credendum est, quia morbus nonnunquam autumno vel hyeme iterum ingruit. Intumescentia subinde ab aliquot diebus disparet, quare eius praesentia non statim perterreri licet. Attamen si febris adiungitur, si color faciei breui manifeste mutatur,

si

ſi tenesmus, ſpasmi, retentio vrinae, aut dyſuria ſubintrant, ſi viſus obnubilatio, ſenſilitatis, praecipue extremitatum inferiorum, imminutio, anima foetens et conuulſiones oboriuntur, mox ſequendam eſſe mortem, praenunciare licet.

§. XIV.

Cura.

Quum morbi cauſa, vti vidimus, in debilitate totius corporis conſiſtat, acidum vero et cetera vt effectus vel ſymptomata conſideranda veniant; excitantia, roborantia nutrientiaque indicari, patet, quorum vſu continuato, niſi iam tantopere increuerit morbus, vt nullam amplius ſanationem admittat, ſymmptomatum caterua diſparebit.

§. XV.

A variis auctoribus variae medendi methodi laudantur. Celeb. de Stoerk *) lene purgantia commendat. Ab aliis, qui acidum pro cauſa morbi agnoſcunt, alcali fixum lau-

*) Anton L. B. de Stoerk praecepta medico-practica in vſum chirurgorum caſtrenſium et rurium ditionum auſtricarum Vienn. 1784. t. 2. vbi de morbis infantum loquitur.

laudatur. Aſt vero hi ſymptomatibus, non autem morbi cauſis medendis ſtudent. Alii balnea, aut ſemicupia aut balnea ſtillata frigida laudant. Quidam balnea tepida ſuadent, et quidem his balneis admiſcent decoctum ex duabus vnciis corticis hyppocaſtani, quotidie repetenda, praeter alia medicamenta.

Duo medici gallici clariſſ. LEVRET *) nempe et COSNIER **) pro medio certo exhibent rubiam tinctorum. Alii laudant herbam et rad. britannicam ***) (rumex aquaticus Linnei.) Nonnulli aquas minerales, praecipue martiales efferunt. Emetica et purgantia a quibusdam propoſita ſunt, aſt vero nil valent, niſi adſit manifeſta ſaburra. Clariſſ. FRANK prae ceteris extollit martem optimeque illum aegris ſuis conſuluit, et quidem huius remedii vſu tribus vel quatuor men-

*) LEVRET Art. de Accouchemens, Paris 1767. p. 277.

**) COSNIER reſp. ROBERT, quaeſtio medica an rachitidi rubia tinctorum? Paris 1758.

***) Raro in pharmacopoeis germanicis inuenitur. In Edinburgica ſub nomine hydrolapathi aſſumpta, quia iuxta obſeruationes medicorum anglorum viribus ſuperat lapathum acutum.

menſibus continuato, plures feliciter aegros reſtituit. Si glandulae meſeraicae infarctae, remedia ſic dicta ſoluentia proderunt, vt ſyrupus Cichorei ad cochlear paruum bis, ter vel quatuor in die, vel ſapon. Veneti ad grj. etc. Sed his tempus terendum non eſt, ſub vſu enim corrobrantium ſingula diſparebunt. Huc ſpectat decoct. cortic. peruviani, vel dedoct. gland. quercus, quibus, ob ſaporem emendandum, ſub coctionis ſinem, puluis fabarum coffeae addi poteſt.

§. XVI.

Multa quoque virtus amaricantibus ineſt aliis. Hinc clariſſ. ROSENSTEINIVS bilem exhibet inſpiſſatam, cum ſapone Veneto et puluere radicis Ari in pilulas redactam.

In terris Venetis ſucci vel extracti pampinorum vitis viniferi ʒjj - ℥ß. quotidie adhibitur.

Externa fricentur pannis fumo maſtichis imbutis.

§. XVII.

Diaeta.

Medicamenta paulo ante recenſita vix proderunt multum, niſi diaeta proficua ſubminiſtretur.

Quare, si possibile, aer mutetur. Sic in aerem altioris sicciorisque regionis feratur aeger. Quoad domicilium, potius degat in locis eleuatis, quam in ima domo. Aura pluuiosa vel nebulosa praesente non exeat aer cubilis, transpiratione multorum hominum inquinatus non sit, et si est, fumigationibus ex ligno vel baccis iuniperi emendetur. Stragula non plumis, sed potius setis equinis repleta sint.

Alii talibus straminis loco aegris herbam centaurei minoris substernunt, quia sperant, illam ad sanitatem citius recuperandam conferre.

Vestimenta, potissimum lintea, saepius mutentur siccis mundisque, corpus saepius aqua frigida, vel decocto roborante lauetur.

Nutrimenta, pauca, leuia et multum nutrientia sint, v. c. ius ex carne vitulina cum vitello ouorum, et caro vitulina vel pulli assa. Quantum fieri potest, euitet pinguia, acida, aut acescentia, et reliqua digestu difficilia.

Potui optime inseruiet vinum dulce cum aqua remixtum, vel cereuisia diluta, cum multo lupulo. Inter optima etiam referuntur aquae martiales cum vino.

§. XVIX.

§. XVIII.

Cuncta haec proderunt, ſi morbus ad ſummum nondum peruenerit, alias parum conficient. Chyrurgiae tunc adhuc implorare auxilium ſupereſt, quae machinarum v. c. thoracicarum ope praeſtet, quae praeſtanda poſſibilia adhuc ſunt.

§. XIX.

Sanato hoc morbo, foeminae, niſi antea accurate inquiratur, numne forte peluis valde anguſtata, vel deformis et ad partum inepta reddita fuerit, ad matrimonium non admittantur.